

Hanc totam simul probo per beatum Bernhardum in meditationibus¹⁾, qui ait: *Anima insignita dei ymagine, decorata similitudine, desponsata fide, dotata spiritu, redempta sanguine, deputata cum angelis, capax beatitudinis, heres^h bonitatis, rationis particepsⁱ, quid tibi cum carne, unde ista pateris? Aliena tibi peccata imputantur; et post pauca: Cur ergo carnem tuam ... usque pro te datur hostia talis. Hec ille. Ex quibus thema concludo:*

Residens digniter sede in regali,
adornatus pulcriter signo divinali,
honoratus iugiter a cetu mundiali,
custoditus pleniter a grege spiritali,
expurgatus largiter cruore agni tali,
est valens carus pariter in plebe mundiali^k,

que fuerunt thematis verba: preciosa et cetera. In quibus verbis tria ostenduntur:

Dignitatis altitudo	valor, providencia.	Preciosa fuit
Largitatis magnitudo	dei ex clemencia.	anima mea
Civitatis mestitudo	fletus, refluencia.	in oculis tuis.
Gratum armarium	thezauro preparatum.	Preciosa fuit
Carum donarium	a deo nobis datum.	anima mea
Triste spectaculum	palam situatum.	in oculis tuis.
Regum rex et dominator	a nostra vadit patria.	Preciosa
Devotus dei venerator	servivit deo latría.	anima mea
Afflictorum consolator,	hunc regni plangunt atria.	in oculis tuis.
Iam delapsa est corona	decor nostri capitis.	Preciosa
Sunt collata huic dona	actibus cum inclitis.	anima mea
Hunc deplangunt corda bona	de tantis mesta perditis.	in oculis tuis.
Altitudo inclinatur	usque terre tumulum.	Preciosa
Spiritus deo presentatur	istud linquens seculum.	anima mea
Mestitudo cumulatur	tristem reddens populum.	in oculis tuis.

(fol. 61)

^{h)} honores *Ms.*

ⁱ⁾ participes *Ms.*

^{k)} Dahinter vel coram rege supernali
Ms.

¹⁾ Migne PL 184, 483. Der Text steht auch im *Manipulus Florum*, einem alphabetisch nach Stichworten geordneten Florileg des Franziskaners Johannes Gallensis aus dem späten 13. Jahrhundert. Benutzt wurde für den *Manipulus Florum* die Handschrift clm 3212 (14. Jahrhundert).